



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XI. In Domin, VI, Post Epiphan. Fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus, Matth. 13. Arg, Nidus tutissimus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

CONCIO XI.

IN DOMINICA VI. POST EPIPH.

Fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Matt. 13.

ARGUMENTUM.

Nidus tutissimus.

Iominem nequam ac versipellem vernaculô idiomate vulgo Aviculam indigitamus. Aud, An quod alienis pen-

*Homo vaser
avicula cur
dicatur*

nis, perinde ac illa *Æsopi* cornicula sese exornet; An quod non tam Christum, quam cristam præferat, meliore Calpino Christianus, seu Cristatus, quam Christianus nuncupandus? An quod non tam avis, atavisque, quam avibus inconstantissimis edicus videatur? An alia de causa, incompertum mihi est. Id certum, quod alii pavonum instar caudæ sirmate expansô intumescant; alii veluti accipitres columbas persequantur; ut hirundines obstrepant; ut struthiones gulæ mancipentur; ut noctuæ perpetuis tenebris implicentur.

*Homines
Aves*

Ego, absit verbo injuria omnes omnino mortales Aves enuntio. Non illas Platonicas implumes, sed probè

plumatas, ac vestitas. Nemo enim facile est, quin vel in anima virtutibus, vel in corpore adventitiis fortunæ pennis plumescat. Nemo est qui vel cum Turture non ingemiscat, vel cum Corvo, cras, cras non reciprocet, vel cum Bubone stebiles, vel cum Alauda festivas non occinat Odas. Nemo ex fidelibus, qui subinde animum ad cœlestia à terrenis non attollat; nemo, qui cantu pio, ac devoto non delectetur, & cum Davide occinat: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ*, nemo facile, qui non præsentiat tempora novissima. Nemo, qui desideriorum suorum alis jam huc, jam illuc, sursum deorsum circumvolet, vel escam quæsiturus, vel de nidulo in quo securè quiescat prospecturus. Ubi nam verò, & in qua arbore id fieri queat commodissimè, dum ego peroro, vos Aviculæ conticescite.

L 3

§ I.

§. I.

in Arbore vastissima Nabuchodonosoris periculose nidificatur.

Arbor Nabuchi quid signet

Dan. 4. v. 8.

II. Primâ fronte in silva SS. Codicis occurrit mihi Arbor procerâ , & vasta , à Nabuchodonosore visa. Quippe proceritas ejus cælos tangebât & aspectus illius usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima , & fructus ejus nimius , & esca universorum in ea ; subter eam habitabant animalia , & bestia , & in ramis ejus conversabantur volucres cæli. Arbor hæc neutiquam naturalis , sed mystica est , potentia , ac prosperitatis humanæ Hieroglyphicum. Hæc enim identidem latissimè propagines suas in tertiam , quartamque generationem diffundit , hæc homunciones è trivio vilissimos nonnunquam sublimissimè extollit ; hæc indies majores fundos occupat , sub hac populantur belluæ , in hac nidulantur ipsæ volucres cæli ; eam quâ probi , quâ improbi frequentant , ejusque patrocinijs umbræ se submitunt ; illam adorant , ac venerantur ; illi vovent sæcula , & annorum myriades apprecantur. Quò eventu ?

ibid. v. 10 II

Colligite ex eo , quod subdit sacer textus : Ecce vigil , & sanctus de cælo descendit ; clamavit fortiter & sic ait : Succidite arborem , & præcidite ramos ejus , excutite folia ejus , & dispergite fructus ejus fu-

giant bestia , que subter eam sunt , & volucres de ramis ejus. Ex toto illius corpore non superfit pars ulla ; ex tota substantia , non inveniatur accidens unum ; ex toto ente , fiat non ens , extirpentur radices ejus , præcidantur rami ejus , decutiantur folia ejus , & fructus ejus consummentur. Eò devenit arbor illa excelsa , orbis universi miraculum , bestiarum , ac volucrum umbraculum , receptaculumque.

Idem omnino exitus imminet iis qui in divitijs , ac possessionibus hujus mundi nidulantur. Cum arboribus in eo participant , ut vel ipsa suâ fecunditate offocentur ; vel cum florent , fructificant , umbrâ suâ hilarant , pulchritudine cunctos inescant , excidio damnentur. Nulla arbor in silva hujus mundi hodiernâ luce viget , quæ crastinâ sub ictum cadere nequeat ; nullus nidus tam firmiter elaboratus ; quin deturbari queat.

III. Regustate paululum. ubinam sint potentes illi à sæculo , qui in ipsis lignis Sethim immortalibus nidos struere videbantur. Cogitate ubi illi monarchæ orbis prope universi , ubi Cræsi , Crassi , Augusti ? Quot familiæ opulentissimæ perire , quorum & nomina cineribus oblitterata sunt.

Occurrat inter alios ille famatus in sacris paginis templi Hierosolymitani

Prosperitas mundi cauduca

Sobrietas sumptio

mitani Præpositus Sobna, Mausoleum hic sibi magnificum extruxerat, eique in mente sua Epigraphen illud Jobi adjecit, *in nidulo meo moriar, & sicut palma*

Job. 29. v. 18. multiplicabo dies. Evolvetur sæculum post sæculum, & ego in memoria posterorum perennabo; exque ipsis renascatur cineribus. Nidus videbatur firmus, securus, etsi non amomo, aut casu virtutum refertus, certè elevationis ac præsumptionis corticibus incrustatus. Quid verò inde?

Jn. 22. v. 16. 17.

Audite oraculum: *Quis tibi, aut quasi quis hic. Quid tibi imaginaris, aut quæ tibi somnia fingis? Ecce dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus. Vidistine tu Domine Præposita gallum in atrio domus tuæ, aut villicæ tuæ cum gallina sua, & quandoque etiam pullos rursari in fimeto, cum scalpere terram unguibus? Vidisti credo. Nonne itidem observasti eundem omnium periculi securum à matrefamilias capi, in corbem imponi, & sæpe cum tota sua familia alio transferri, aut jugulari? Vidisti hæc? Ita sane. Typum ergo habeto sortis tibi imminentis: Ecce dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus. Dum tu coacervas, & multiplicas non tua, dum rursaris in agello tuo, dum nidificas, venient hostes, & transferent te, & mittent te in terram latam, dissipantes nidum tuum, & excindentes frutera tua, in quibus eundem solidasti.*

IV. Occurrat Ezechias Hebræ.

orum Toparcha. Hic ex Regis Babylonie legatione, eam hausit læticiam ut elarus animo, perinde ac si afflueret fontibus aureis uberrimæ felicitatis, ostenderit illi Barbaro, in nidulo suo domum aromatatum, aurum, argentum, pigmenta varia, supellectilem pretiosam, armamentarium suum, quidquid demum in gaza sua habebat absconditum. Quid verò inde? Irrisit tanquam fatui hominis levitatem Deus, & vatem misit ad illum grandi voce tonantem; ac denuntiantem futurum aliquando tempus, quo omnia illa ad pompam ostentata, cum nidulo ipsius, ac pullis in Babylonem asportarentur.

Ecce dies venient, & auferent omnia, quæ sunt in domo tua, & de filiis tuis, qui egredientur ex te, tollentur, & erunt Euchi in palatio Regis Babyloniorum. Sicut gallus gallinaceus asportari solet &c.

Divitia & liorum spolia

Reg. 20. v. 17. 18.

V. Occurrant alii opulentissimi quique, qui ante vos in hoc eodem loco ædificaverunt; in iisdem possessionibus nidulabantur, ex eodem agello granum colligebant, ecce avolarunt, & si ignoratis quossum, disquirite cum Baruch Propheta. *Vbi sunt qui argentum thesaurisaverunt, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis ipsorum. Et respondet ipse oraculo Numinis: Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt. Corpus ipsorum quod arboris instar terrenis possessionibus*

Divitiæ eius

Baruch. 3. v. 18. 19.

nibus irradicatum erat, securi Libitinæ excisum est; anima; quæ avis in motem in eo nidulabatur fugata est ad inferos, cum Epulone sortem suam habitura. *Exterminati sunt* &c. Intendebant illæ quidem alas librare in æthera, sed quia vel pulvere terrenorum eæ studiorum aggravatæ erant, vel vitæ desideriorum inordinatorum conglutinatæ, vel etiam lachrymis, si non sanguine oppressorum inbutæ, ad barathrum Erebi prolapsæ sunt. *Exterminati sunt*, & alii ignoti, peregrini, alienigenæ loco eorum surrexerunt. Hæc fors Nabuchodonosoris, hic exitus aliorum in eadem quercu nidulantium, & de possessionibus suis per vim, & omnes nefas alios exigentium, *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt*. Si fuissent mediocri fortunâ contenti, etiamnum duraret genus, ac prosapia ipsorum; sed quoniam nimium impinguati, ac dilatati; etiam memoria ipsorum oblitterata est; durante perpetuâ simplicium, & agrestium propagatione. Nos tantô admoniti periculo, hanc ocius deseramus, & ad vicinam pennas libremus arborem.

§ II.

Ficus itidem dissuadetur.

VI. Ficus ea est, sub qua metidari ac nidulari Judæis solemnissimum erat. Sunt & ipsæ multis in locis latissimæ, ac florentissimæ.

Arabo, Plin.
Solin.

Indicam omnium arborum maximam perhibent Hystoriographi, quæ

ad eam altitudinem verticem surrigit ut ejus umbra, per duo sese stadia, diffundat. Ramorum autem latitudo tanta, ut in ea quadringenti equites commodè pabulari queant. Foliorum amplitudo, quanta militaris clipei, vel Amazoniæ peltæ. Fructus verò permodicus, & rarus.

S. Augustinus explanans Isaiam per hanc arborem intelligit vitam voluptuosam: *Ficus*, ait, *propter dulcedinem fructus felicitatem hujus mundi designat; & requiescunt sub ficu, qui tranquillitate & dulcedine hujus felicitatis fruuntur*. Illi nidificant in ficu, qui voluptatibus ac deliciis hujus mundi mancipantur.

Voluptas
ficus s.
Aug. h. l.

VII. Verum quamdiu, quâ securitate quo successu? Haud aliô, quam in prior vel etiam deteriore. Voluptas enim omnis brevis est, ac temporaria, dolor autem perpetuus, & sine carceris. Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat.

Væ, vaticinatur Amos, *qui dormitis in lectis eburneis & lascivitis in stratis vestris, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti*. Væ qui dormitis in lectis, quia eæ vos plumæ nō evolare sed jacere cogent, eritisque cælo eò indigniores, quò densius plumis involuti. Neque enim plumescimus in pulvino, sed deplumamur; quique in totum aligeri devolvimus, inde implumes sæpius exilimus. Væ qui symposia celebratis, & seclusis spiritualibus solatiis, carnalibus immerfi estis voluptatibus. *Causam subdit. Quia nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur saltio lascivientium.*

Amos. 6. 9
4. 5.

Voluptas
transitoria

Nostis probè, quid sit factio Suetica, Hollandica, Danica: conspirant in ea capita præcipua ad sui status rationes promovendas. Hunc in modum heluones illi, ac parasitantes animæ convenerant Jerosolymis, (ut nunc motis apud nos,) id unum versantes, quâ ratione, & viâ, gaudia sua interrupto ordine propagarent. Quid verò ad ea Dominus. *Nunc migrabunt, &c.* Hoc proximò diluculo ipsi pertransibunt, & tota illa factio, omnes conceptus ipsorum habiti, de voluptuosa vita continuanda ad litus æternitatis allisi, in spumas abibunt, S. Chrysostomus legit: *Quia tanquam stantia arbitrati sunt, & non tanquam fugientia, hoc est avolantia, & nec ad momentum permanentia; tantum non ostendens, quod gutturis, & labiorum tenuis est fruitio, & ultra non progreditur. Desultoria enim sunt omnia carnalia desideria, & gaudia, antequam plenè adveniunt, avolant.*

S. Chrysost.
loc. cit. in
Gen.

Luc. 13.

VIII. Apud S. Lucam quasi-
rus Dominus de signis adventus sui;
*Quod signum adventus tui? Respondit:
Ab arbore ficis discite parabolam, cum
jam ramus ejus tener fuerit, scitis quia
prope est æstas, Quid hoc mysterii,
quod ad hac arbore satius, quam
ab alia proximi adventus desumit pa-
rabolam? Nimirum quia nunquam
certius, ac præsentius prognosticum
ruinæ, ac interitus apparet quam
quod ex voluptatum effusione desumi-
tur.*

Barlaami
Apologus

S. Io: Dam.
in V. Bar-
lham

IX. S. Joannes Damascenus
B. Josaphato Indiarum Principi
hanc adumbraturus arborem, ajebat
in summitate ipsius modicum quid mel-

lis à fucis, aut vespis forsitan colle-
ctum fuisse, quod Sideratorum quispi-
am malefanâ aviditate, ac ingluvie lam-
beret, duobus interea muribus arbo-
rem arrodentibus, in præcipitium
proximum plenum virulentissimis be-
stiis devolvendum.

Quò symbolo edocere piissimum
Juvenem intendebat, guttam non nisi
mellis esse omnes mundi delicias, vi-
tam arborem, murem candidum &
atrum, diem ac noctem; sensim sine
sensu eandem admordentes; præci-
pitium, inferni periculum. Quanta
igitur fuerit amentia cum hoc sidera-
to, in hac arbore jamjam ruitura ni-
dulari? Quanta vesania, guttam mel-
lis commutare cum cado fellis, & ob
momentaneam voluptatulam, æter-
nam sibi concire lanienam,

§. III.

*In Cedro nemo diu, & se-
curè hospitatur.*

X. Evolemus & hinc ocuis, & ad Ce-
dros eminentissimas nos recipiamus.
In his forsitan nidulari citra periculum
poterimus. Præstabit sublimitas;
quâ sæpe sustulit humilitas, securitatem.

Credidisse id equidem, nisi contra-
rium experientia ipsâ Rex Sionis didi-
cisset, edocuisseque. Ait enim: *Vidi
impium superexaltatum, & elevatum si-
cut Cedros Libani, transivi, & ecce non e-
rat, quæsi vi eum, & non est inventus locus
ejus. Quam cito me verti in partem
alteram, tam facilè everfus est; quam
properè, transii, tam celeriter evanuit;
quam studiosè eum quæsi vi, tam dif-
ficulter inveni,*

Dignitas
male sibi
constans

Psal. 36.
v. 35.

M

Verum

Verum ubinam gentium, aut locorum, Regum serenissime eum quævisisti? Si abiit, aut aufugit, alicubi latere debet? Nisi omnino in nihilum redactus sit, aliquo in loco existere est necesse? Transivi pegaso cogitationum mearum hunc mundum, & deveni ad alterum, & ecce non erat. Hic le Thrasones illi opulentos, ac potentes ostentant in oculis hominum; sed in sublimiore curia excluduntur. Hic locum amplissimum, curules subsellia, dignitatum occupant; ibi locum non habent, quo figant pedem. *Quævisi eum, & non est inventus locus ejus.*

Existimabam illum ex tanta majestate, & splendore hujus sæculi, perinde ac Eliam, in æthereas subvectum sedes, esse quoque triumphali; & non est inventus locus ejus. Non hæc est sedes fastuosorum, aut multum sibi sapientium. Lege epigraphen sedibus hæc inscriptum: *Non habitabit in medio domus mea, qui facit superbiam.* Virtutum curules hic non occupat, nisi heroicis ac facinoribus inclitus. Nec Principibus, aut Potestatibus lociatur, ventris, ac vanæ gloriæ mancipium. Nec in Angelorum adoptantur Collegium emancipata ad quævis dedecora capita. Nec januam humilem, atque angustam ingredi queunt, arrogantia atque insolentiâ præsumidi.

Transivi ab æthereis sedibus ad regna cathartica, & quævisi eum, si fortè in balneis illis sordes suas elueret, maculasque expiaret. Sed frustra. *Nec est inventus locus ejus.* Hic intellexi mundari navos minimos,

quadrantes ultimos exolvi, non verò summas capitales; hic paleas vidi succendi, ac stipulas, non trabes, aut stipites. *Non est inventus locus ejus.*

Quid ergo? Transivi, & quævisi in ipso inferno, fuscis, desperatolique illos Æthiopes, percontatus sum de illo, scrutatus sum ipsum abditas inter latebras; mirum nec ibi *inventus est locus ejus.* Est ibi, sed nec apparet. In tabula Geographica regna, ac provinciæ integræ depinguntur, aut excuduntur; ita tamen ut domus, palatia, & multa alia lateant. Equaratione compertum mihi est in ditione Averni esse locum ipsius, sed usque ad eum exilem, & angustum, ut nec videatur. In hac valle miseriarum Thrasones illi philacteria sua dilatare queunt, non in illa; in hac possessiones possessionibus cumulare, non item in illa; in hac se magnificos, potentissimos, excellentissimos deprecare, non in illa. Nulla ibi invenitur distinctio ordinum, aut officiorum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nulla lux effulget dignitatum, ubi Cimmericæ cuncta tenent tenebræ; nullæ ibi divitiæ, ubi miseria, fames, egestas, & longo ordine posuere cubilia luctus. *Quævisi eum &c.*

Et quantumvis præferocem illum ibidem conspicarer, ob nimiam metamorphosim, ac catastrophe hæc eum dignoscerem. Eheu, quantum mutatus ab illo! Illa facies, quæ purpurâ, & cerussa pingebatur in delitiis, jam nigricat in tormentis. Illa genæ vivida, ac succi plenissima, jam totæ quantæ rugosæ, & à ver-

Impius nullo loco subsistit

Dives exinanitus

Superbus a riam in solionigrat

mibus

Psal. 100, v. 7.

mibus corrosæ. Illa labia corallina, & oculi adamantini, illa frons alabastrina, jam tota versa est in cinerem, ac fuliginem. Minus inibi impius ab impio, quam in cripta quapiam, calvaria una ab alia dignoscitur. *Quæsi cum, & non est inventus locus eius.* Quippe ad nihilum redactus est, in conspectu ejus malignus. Ad nihilum tota sustantia, quam hic possederat; horti, quos excoluerat; campi, quos seminaverat; pomaria, quæ plantaverat; palatia, quæ extruxerat, &c. Ad nihilum ipsemet redactus in fama, & aliis naturæ donis, inque omni eo quod est, ut nec quicquam sibi ultra, suisque præstare queat. Huc devenit nidus ipsius, huc Cedrus illa excelsa, ac vertice feriens sidera; idque momento prope temporis. *Transivi & ecce non erat.* Item & nos inanissimi homunciones, in hac struemus nidulos vanitate plenissimos? Non percellimur, ne ab aucupe Avernali illaqueemur, aut unâ cum nido nostro in præcipitium abyssi æternæ protrudamur?

§. IV.

In arbore sinapis nidificandum

XI. Eja ergo assumite alas ferentissimorum desideriorum, assumite animos, & adhuc unum tentemus votatum. Quonam autem? Ad arborem sinapis hodierno Evangelio propositam.

Arbor hæc ut alias interpretationes mittam, teste D. Chrysologo, est ipsa arbor passionis Dominicæ. Utenim dominus indicaret Evangelicam

Philosophiam, in specie per ignominiam crucis contemptam, vi veritatis sensim ita invaliduram, ut totam terram occupet, hæc parabola usus est. In hac arbore nidificandum nobis est, si ab Accipitre Tartareo, aliisque infestationibus securi esse gestimus. Nuspiam in sylvestrium arborum foraminibus, tam securè nidos suos construunt aviculæ, atque nos in vulneribus crucis Dominicæ.

XII. Subtili meditatione more suo S. Augustinus expendit causam, cujus ergo Notarius Domini Joannes Apostolus non scripserit militem lanceâ latus ejus trajecisse, aut transfixisse, sed illud aperuisse. *Lancea latus ejus aperuit.* Num illud fortè liber ille Apocalypticus clausus, & signatus erat, qui hoc stilo pandi, & explicari debuit? Num illud fons signatus, & obstructus, qui lanceâ relaxatus profudit largissimè sanguinem, & aquam. Num conclave quodpiam, quod lanceâ, per iade ac clavi referandum erat? O crudele cor meum tibi hic ictus debebatur, cur te non opposuisti ad excipiendum illum. Cur vel nunc te oppilas Deo tuo? Cur pandis diabulo? Cur non contereris, & fontes lachrimarum profundis? Cur non hias latius ad enormitatem scelerum tuorum evulgandam? Audi, quod in tui solatium, præfatus antistes respondeat. *Vigilanti verbo usus est Evangelista, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, sed aperuit, ut illic quodammodo vita ostiù panderetur.* Apertum est latus Christi, quatenus nobis accessum, aditumque pius Dominus ad cor suum patefaceret

In arbore crucis nidificandum

Latus Christi cur aperit dicitur

*Vulnera
Christi asy-
lum*

ceret. Cor suum tanquam secre-
tissimum cubiculum referavit ,
ut in eo commoraremur , donec
penitus mundati , digni sumus un-
cum ipso in cor æterni Patris abdu-
ci. Admisit hoc vulnus Assertor no-
ster , ut cum nos undique preste-
rint hostes nostri ; quum omni a-
sylo destituemur , quum conclama-
tum prope fuerit de nobis ; vitæ ac
salutis janua nobis pateret. Inten-
debat nimirum , ut quod olim janua
in latere arcæ paucis præstitit , id
vulnus lateris ejus conferret univer-
sis. Ut contendamus intrare per
angustam portam , angustam in-
quam vulnere , sed angustam mu-
nere. Etenim sive passer esse
decrevistis solitarius , nusquam conve-
nientiore nancisceris locum , ad
vitam abstractam , & contemplati-
vam agendam , quam in foraminibus
hujus arboris , in vulneribus Christi.
Si columba es , inibi tibi patet lo-
cus ad nidificandum ad producendos
fœtus tuos , ad fovendos , atque
alendos. Si Turtur es , & castis
calidisque suspirijs ad Deum anhelas,
hic locus requietionis , ac consolati-
onis tuæ. Si denique Erinaceus es ,
spinis peccatorum obsitus , huc in-
tra , ut justificeris , siquidem Arbor
hæc & Petra , & refugium Erinaceis.
In his foraminibus passer inve-
nit sibi domum , & turtur nidum sibi ,
ubi ponat pullos suos , in his columba se-
tutatur , & secura circumvolitantem
intuetur accipitrem ; ait mellisluus ,
XIII. Memorabilis omnino est
eventus in vita Xenocratis relatus ,
& proposito meo perquam accom-

*S. Bern. ser.
61. in Cant.*

*Manut. in
Ayop. lib. 7.
n. 35.*

modatus. Accipiter volatu vario ;
ac flexu , ad Chalcedonem insectaba-
tur passerem , qui suis diffusis viri-
bus , & unguibus hostis sui jam proximi-
mus , ad senatum sub sago confi-
dentem advolans , Xenocratis in sinu
resedit. Hic illius misertus , & ad
Collegas conversus pro illo acutum
peroravit. Equum est ô viri pro-
fugum , ac supplicem protegere. Ju-
stum à rapaci vulture sese ad homines
recipienti humanitatem exhibere. Vi-
vat ergo beneficio nostro , qui pe-
riisset insidijs alterius.

Tibi , tibi id dico anima mea , si te
forte periculosiore aucupio Accipiter
Tartareus insectatur , ut passerem illico
dilatandum , ecce senatum sacra-
tissimum in Calvaria monte sub cru-
cis arbore congregatum , morientem
scilicet pro te Assertorem , Joannem
Notarium , Josephum Arimatæum ,
Nicodemum , aliosque de sepultura
Domini consilia agitantes. Conji-
ce te , si astutissimum , ac rapacissimum
aucupem gestis evadere , in sacrum
hunc confesum , confuge in sinum ,
immo in latus Salvatoris tui. Nam
ubi tuta , firmaque securitas , nisi in
vulneribus Salvatoris ; loquor cum S.
Bernardo. Tantò illic securior ha-
bitas , quantò ille potentior est ad
salvandum. Fremat mundus , pre-
mat corpus , diabolus insidietur , ne
timeas quia in foraminibus Petre se-
cura es. Excellit omnem altitudi-
nem mœnium hujus tabernaculi pro-
tectio. Exuperat omnium arcium , ac
propugnaculorum robur , nidulus u-
nus , in ijs foraminibus collocatus.

*S. Bernard.
Ibid.*

XIV. Hunc nidum ostendit B.
Melch-

*Vulnera
Christi ni-
dus*

In Vita

Melchitildi ipse Dominus cum gravio-
ribus capitis doloribus torqueretur,
ne usquam posset quiescere. Vidit enim
iplum ostendentem sibi latus dexteræ,
& dicentem sibi: *Hæc intra ut pauses.*
Moxque cum gaudio intravit, & visum
est ei tot cervicalia serica habere, quot
ictus dolorum tunc sensit capiti suo ad-
venire. Et ait Dominus: *Bombyces se-
ricam gerunt, & de me scriptum est: E-
go sum vermis & non homo; hucusque mi-
hi in laboribus devotè servijsti, amo-
do in virtutum exercitijs exemplo meo
placitis studebis servire; & quæ tibi
fuerunt importabilia, ego ea tecum fe-
ram. Hic nidus tuus deinceps sit, hic
quies, & refugium.*

*Vulnera
Christi in
tormentis
refrigerium*

XV. Audistis identidem, vel etiam
legistis intolerabiles cruciatus, ac lani-
nas, quibus SS. Dei Testes sunt excar-
nificati, Audistis credo, ut Justo Mar-
tyri, alijsque ignea cassis imposta; ut
Pelagius articulatim divitus, S. Laurentius
& Nicephorus assati, S. Juliana &
& Ephemia in pice, ac resina vivæ fri-
xæ, S. Victor in mola contritus, Eu-
stachius cum consorte sua Theopista,
ac filijs in bovem candentem inclusus,
&c. Audistis ut alios taceam, S. Co-
nonem & S. Georgium pedibus cla-
vis confixos, in cursum adactos; Audi-
stis S. Triphonem in equuleo tortum,
ferreis unguis excarnificatum, clavis
candentibus ad trabem in sublime con-
fixum, fustibus casum, facibus adu-
stum. In his alijsque tormentis non
modo fortiter rimantem viscera lan-
ceam, sed & alacriter sacrum è carne
sua intuebantur ebullire cruorem. *V-
binam tunc, contatur Pater Mellitissi-
mus, Martyrum erat anima? Nempe in*

tuto; nempe in Petra, nempe in visceribus
Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad
introeundum. In hoc asylo, in hoc ni-
dulo ridebant minas, ac tormenta car-
nificum, & quantò graviora illis infe-
rebantur supplicia, tantò sibi jucun-
dus epulari videbantur. In hoc in tor-
mentis relaxabant animum, relevabant
dolores, & securissimo in ipso agone
potiebantur refugio. Eò, eò invola fi-
delis anima in omni periculo, in omni
tentatione, in omni agone, & in Cru-
cifixo pone nidum, seu latibulum
tuum. Quid foris per vana, & inutilia
vagaris? Quid frustra, & cum dispen-
dio, in quercu, ficu, Cedro nidularis?
Recipe te ad hoc asylum, ad vulnera
non jam sanguine, sed bonitate, ac cle-
mentia manantia.

XVI. Abscondere se iussus Ilaïas Va-
tes in fossa humo, etiam à facie placati
Numinis; tu verò tutator te à facie i-
rati, à vultu furoris Domini in fossa
manuum, ac pedum Assertoris tui, si-
quidem fossæ sunt manus ejus, & pedes.
Foderunt, ait in persona ipsius David, *ma-
nus meas & pedes meos.* Id est ab irato
tibi fuge ad vulneratum prote; à Judi-
ce ad sequestrum tuum, à tribunali ad
crucem, ab eo, qui percutit terram vir-
ga oris tui, ad eum qui inebriat terram
stillicidijs cruoris sui; ab eo qui
labio oris sui interficit impium;
ad eum, qui sanguine vulnerum
suorum vivificat extinctum.

Isa. 2. 5.

*Psal. 117. v.
20*

Quin immo non ad ipsam
tantum, sed in ipsum fuge,
in foramina Petræ ingredi,
in fossa humo abscondere, in
ipsis manibus, ac pedibus foratis
in

M 3


in

ibid.

Pfal. 117. 20. in foffo latere te ipfum reconde. *Hæc porta Domini iufti intrabunt in eam.* Nec folum cum S. Thoma mitte manum tuam in latus ejus fed, perlatus ingredere in corejus, perinde ac ad nidum tuum, nec aliud gefcias, quam cum Christo vivere in cruce, cum eodem mori in cruce.

Quod fi vel femel admiſſus ibi nidulari occæperis, æmulator cætera animalcula, & quodcumque poterit operari manus tua, illuc confer, inibi repone, fanguine continge, & tutare,

inibi foetus tuorum operum educare, & fovere adnitere. In hoc cubiculo te contine, & Patrem tuum, qui videt in abscondito deprecare. In hoc nidulo morate, & immoriare, ac inſtar Phœnicis multiplicato dies, ne fortè egreſſus incidas in ungues Tartarei Accipitris. Ex hoc ne unquã exſudaris toto cordis affectu eſſagita; *O Bone Ieſu exaudi me, inera vulnera tua abſconde me, non me permittas ſeparari à te. Fiat mi JESU. Fiat.*



CONCIO. XII.

IN DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis. Matth. 20.

ARGUMENTUM.

Merces operum cumulatiffima.

I Vangelicus Paterfamilias, etſi numeroſiffimã gaudeat familia, nunquam tamen animum ab aliis, atque aliis, jam per tuos Oratores Angelos; jam per Apoſtolos, & Eccleſiaſtas, jam per ſemet conducendis avocat. A. Id unicè indolendum, quod cum permulti gratanter ſuam operam locent forenſibus judiciis, ac pompis ſæculi; per pauci ſeſe illi ſincere, ſanctèque ſubarhent, vel ſeridè in vinea ipſius

deſudent. Unde hoc? Numquid levius eſt pondus ſæculi quam vineæ? At ſi vel dimidium laboris illius impenderent; quam conſecrant perditioni, ampliffimam à munificentiffimo Patrefamilias referrent mercedem, & citra dubium cœleſtis patriæ incolatu poterentur. Numquid fortè minus honeſta ſervitus vineæ Domini eſt, quam mundi immundi? At nemo ignorat ſervitutem à dominio decus ſuum mutiare, & quantò illud illuſtrius, atque auguſtius, tantò itidem famularum. Numquid de mercede agitur? (*Hæc enim*